



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput I. De contractu in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

212 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS:  
dendum suum honorem, animositatem, &c. sub-  
jacet pœnis suprà dictis.

TRACTATUS  
DE  
CONTRACTIBUS.  
CAPUT PRIMUM.

*De Contractu in genere.*

§. 1. *De natura Contractûs.*

**C**ontractus strictè sumptus definitur: *Duo-  
rum, pluriumve libera conventio, gignens  
mutuam obligationem.*

Alius est explicitus, implicitus alius. Alius lu-  
crativus, in quo pars altera nihil rependit, ut  
*promissio liberalis, commodatum, &c.* Alius oner-  
osus, in quo aliquid rependitur, ut *emptio,  
venditio &c.*

P. 1. An ad valorem contractûs requiratur vo-  
luntas præstandi ea, ad quæ contractus obligat?

R. Neg. Quia contractus solùm requirit consen-  
sum, quo suscipitur obligatio ad aliquid præ-  
standum: potest autem quis absolutè consen-  
tire in obligationem, volendo se obstringere  
ad aliquid præstandum, quamvis in executio-  
ne id præstare nolit, sed fallere intendat.

2. Qualis consensus ad valorem contractûs re-  
quiritur?

R.

R. In foro fori sufficit consensus verbis expressus, quia cum homines internas voluntates immediatè intueri nequeant, de illis per externa humanæ societatis signa judicant: in foro conscientiæ requiritur consensus internus: contractus enim essentialiter requirit consensum in obligationem: verba autem consensum non efficiunt, sed dumtaxat significant.

3. Quomodo error, & dolus contractum vitiant?

R. 1. Error, & dolus circa substantiam rei contractum quemlibet enervant penitùs: tunc enim deest verus consensus. Qui emit vitrum, putans esse gemmam, non consentit in vitrum.

R. 2. Si error circa qualitatem rei sit antecedens, & contrahens à qualitate, quæ ad contractum movet, tamquam à conditione vim sui consensûs expressè suspensam velit, contractus corrumpitur, quia deficit conditio, à qua valor contractûs ex intentione contrahentis pendet: si autem error tantùm sit concomitans, contractus subsistit, quia reverà hîc & nunc se obligat.

4. An valeat contractus inritus ex metu?

R. 1. Contractus inritus ex metu gravi proveniente à causa naturali, est validus, ut si quis metu infamiæ contrahat matrimonium cum sua concubina.

R. 2. Dum contractus inritus ex metu gravi injustè incusso, qui ad extorquendum contractum non ordinatur, robore suo non destituitur, ut si quis timens expugnationem civitatis injustè

obsessæ, offerat inire matrimonium cum sore  
re principis obsidentis, supposito, quòd civitas  
in illum finem non obsideatur. Ratio est, quia  
licèt contrahens possit meritò conqueri de tali  
metu, non potest tamen conqueri de illo, qua-  
tenus contractum respicit.

ꝛ. 3. Dum metus gravis, ad extorquendum con-  
tractum ordinatus, incutitur, sed justè, con-  
tractus validus est, tam jure naturali, quàm po-  
sitivo, cùm coactus rationabiliter conqueri  
non possit, quòd pleniori non gaudeat liber-  
tate.

ꝛ. 4. Si metus gravis incutiatur injustè, & ad  
extorquendum consensum ordinètur, con-  
tractus tum onerosus, tum lucrativus jure na-  
turæ est invalidus. Sub hoc metu etiam com-  
prehende metum reverentialem, qui nascitur  
ex reverentia parentibus debita, præsertim si  
graves addantur minæ. Ratio est, quia tunc  
deest consensus liber ea libertate, quam æqui-  
tas naturalis, & jura societatis humanæ postu-  
lant; siquidem rationi consonum apparet, ut  
nemo absque causa rationabili obligetur ex  
contractu, nisi spontè volens, securè que con-  
sentiens. Id ipsum statuitur cap. *Ad audien-  
tiam, de his, quæ vi, metûsve causâ fiunt, carere  
debent robore.*

ꝛ. 5. An juramentum promissorium, gravi metu  
injustè extortum, jure naturæ obliget?

ꝛ. Multò probabilior, & practicè securior est  
sententia affirmans. Constat ex variis capitulis,  
& S.

& S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. Accipe Cap. unum pro multis. Cap. *Si verò*. de jure jurando, ubi Alexander III. rogatus ab Archiepiscopo Senonensi, quid agendum sit, si aliquis alterum gravissimo metu sub religione juramenti jus suum refutare coëgerit, ipsumque sibi retinuerit; responder: *Non est tutum quemlibet contrà juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis eterne: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne authores perjurii videamur.*

§. 2. *De Contractu conditionato.*

P. I. **A**N conditio de præsentī, vel præterito suspendat contractum?

R. Neg. sed simul ac conditio existit, conventio statim vim habet; si autem non existat, pactum ab initio nullum est: quia quisquis ita contrahit, animo sic affectus est, ut suppositâ conditionis existentia, contractū illicò valere velit.

2. An conditio de futuro contingenti suspendat contractum usque ad eventum illius?

R. Plerumque, quia contrahentes animo sic affecti sunt, vel esse solent, ut eventum conditionis velint expectare, & efficaciam sui consensûs interea suspendant.

Dixi: *Plerumque*, quia si contractum ab initio valere velint, supposito quòd conditio ponenda sit, contractus ab initio, aut valet, aut omninò irritus est.

3. An contractus, sub conditione de futuro initus, positâ conditione statim valeat?
- R. Aff. Quia positâ conditione non est amplius ratio suspendendi efficaciam consensûs, & obligationem contractûs, qui proinde ex conditionato transit in absolutum.
4. An, qui contraxit sub conditione de futuro, pendente conditione possit resilire?
- R. Neg. Quia taliter contrahendo iniecit sibi obligationem expectandi eventum conditionis, & illâ positâ contractum ratum habendi.
5. An valeat contractus initus sub conditione impossibili, aut turpi?
- R. 1. Omnis contractus sub conditione impossibili initus jure naturæ est invalidus.
- R. 2. Conditiones turpes, quæ apponuntur ut obligatoræ, æquiparantur impossibilibus, & contractum jure naturæ destruunt.

Dixi: *Speçtato jure naturæ*; quia quamvis conditiones impossibiles, & turpes etiam à jure positivo ut irritantes habeantur, in testamentis & matrimoniis habentur pro non adjectis.

Hoc intellige de conditionibus turpibus, quæ non sunt contra matrimonii substantiam, quales sunt, *si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro questu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.* Greg. IX. cap. Finali de conditionibus appositis.

## CASUS I.

*Petrus promittit Paulo florenos centum &c. Si inimicum Petri occiderit; queritur, an patratu homicidio obligetur Petrus ad dandum centum Paulo?*

R. Si Petrus non intendat alterum obligare ad homicidium perpetrandum, sed vim, & efficaciam sui consensûs usque ad positionem occisionis suspendens, & ipsâ positâ se obligare velit ad prædictam pecuniæ summam, contractus videtur jure naturæ subsistere.

§. 3. *De Promissione, Donatione, Deposito, Commodato, & Precario.*

**P**romissio est, *deliberata, & gratuita fidei obligatio* alteri facta de re licita & possibili præstanda.

1. An promissio obliget ante acceptationem?

R. Neg. Saltem ex justitia: quia promissio ante acceptationem, nondum est contractus.

Dixi: *ex justitia*, quia promissio nondum acceptata obligare potest ex veracitate; si enim exteriùs quidpiam promittam absenti, teneor efficere, ut verba mea suam sortiantur veritatem.

2. Quomodo promissio exteriùs facta obligat?

R. Obligat ex justitia, quamvis non sit onerosa, sed liberalis. Ratio est, quia ejusmodi promissione jus acquiritur promissario, & promissor fidem suam obligat, quæ est fundamentum justitiæ. Promissio obligat sub gravi, si materia sit gravis.

3. An promissio ob turpem causam facta obliget?

R. Neg. Nequidem opere perpetrato, quia priusquam opus ponatur, promissio est nulla: *Si flagitii faciendi, vel facti causâ concepta sit stipulatio, ab initio non valet.* Lege 123. ff. *De verborum obligationibus*: Ergo etiam opere perpetrato similis promissio nihil roboris habet: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Ita regula 18. Juris in sexto.

4. Quid est donatio?

R. Est gratuita doni collatio, que fit absque debito justitiæ ex parte donatoris, & nullam justitiæ obligationem parit in donatario.

Donatio alia inter vivos, quâ donator vult, rem donatam se vivo fieri alterius; alia est donatio mortis causâ, quâ tantum post mortem suam rei dominium vult translatum.

5. Quinam donare possunt?

R. Illi soli, qui dominium habent suarum rerum, & facultatem à jure non impeditam.

6. Assigna aliquos casus, in quibus revocantur donationes.

R. 1. Donatio mortis causâ potest revocari à donatore, quamdiu vivit, quia voluntas hominis usque ad mortem est ambulatoria.

R. 2. Donatio inter vivos potest quandoque revocari etiam post rei traditionem. 1. Quando est inofficiosa, id est, quando facta est contra officium paternæ pietatis erga liberos, ut si proles ideo carere debeat legitimâ portione: constat ex Lege 1. Codice de inofficiosis donatio-



*nibus* lib. 3. tit. 29. 2. Ob ingratitudinem donatarii, V. G. si atroces injurias verbo, vel facto intulerit donatori, vel si gravamina, ad quæ in donatione se obstrinxerat, adimplere contemnat.

℞. 3. Donatio revocari potest ob prolem legitimam ex insperato natam. Constat ex lege 8. *Si umquam* Cod. de revocandis donationibus: quia non censetur donator voluisse casum illum comprehendere.

7. Assigna aliquos casus, in quibus promissio definit obligare.

℞. 1. Si executio fiat impossibilis, aut illicita. 2. Si relaxetur à promissario, vel alio auctoritatem habente. 3. Si talis mutatio superveniat, ut promissor non censeatur casum illum voluisse comprehendere. 4. Si promissarius fiat insigniter ingratus.

8. Quid depositum, comodatium, quid precarium?

℞. 1. Depositum aliquando sumitur pro re deposita, aliquando pro ipso contractu, seu depositione. In hac ultima acceptione definitur: *Contractus, quo res alterius custodia committitur, ut integra restituatur.*

℞. 2. Commodatum, & precarium quandoque etiam accipiuntur pro contractu, quandoque pro re commodata, vel precario data.

Contractus comodati est, *rei quo ad usum gratuita concessio, usque ad certum tempus, ante quod repeti non potest.* Contractus precarii est, *rei quo ad usum gratuita concessio, quovis tempore revocabilis.*

CA-